Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

uiro in litterarum studiis plerique ha-
bigere fuere. Donatus namque artigra-
phus romanus eum imbuens elementis
liberaliumque sufficienter sapore artium
replens magister extitit illi. Sicut ipse
in cronica sua meminit dicens. Vic-
torinus rethor et donatus grammaticus pre-
ceptor meus rome insignes habentur.
Gregorium quippe nazanzenum ut idem
in tercio explanacionum ysaie refert
libro didascalum fuisse suum testatur. Nam
cum in predicto propheta ad eum locum venisset.
quo de seraphin quedam debuisset expo-
nere. ita intulit dicens. De hac ui-
sione ante annos circiter triginta.
cum essem constantinopoli. et apud virum
eloquentissimum gregorium nazanzenum
preceptorem meum. et cum ab eo dicte urbis
episcopo scilicet scripturarum studiis erudirer.
scio me breuem subitumque dictasse trac-
tatum. ut experimentum caperem ingenioli
mei. et amicis iubentibus obedirem.
Quid uero debuit uiri eleganti in-
dustria. quam erga latinos ac grecos.
hebreos et arabicos. chaldeosque in
discendo elementorum apices habuit.
prestancius dici potest. quam ipsius ad
pammachium et oceanum missa profitentur
illa dicentis. Dum essem iuuenis.
miro discendi feruebam ardore. nec
iuxta quorundam presumpcionem ipse me docui.
Apollinarem audiui anthiochie
frequenter et didici. Tunc cum me in scripturis
sanctis erudiret. iam canis aspergebatur
caput. et magistrum pocius quam disci-
pulum decebant. Perrexi tamen alexan-
driam. audiui didimum. in multis
ei gratias ago. quod nesciui didici. Pu-
tabant me homines finem discendi
fecisse. Rursum hierosolime et beth-
lehem. quo labore quo precio barba-
nianum hebreum nocturnum habui pre-
ceptorem. Timebat enim iudeos. et al-
terum exhibebat michi nichodemum. Hec
itaque contuli. ut qui scire cupiunt
nosse queant sic predicti quo natus
quibusue tantus uir magisteriis fuit
informatus. Commoratus itaque hiero-
nimo rome. mentis corporisque virgini-
tatem custodiens. delictorum penitenciam
fidelibus predicabat. Iuxta septuagin-
ta librorum uolumina. atque psalterium
emendauit. apostolice presidente liberio
sedi pontifice. ea procul dubio tempesta-
te qua romanum presulem constancium au-
gustum arriana heresis maculabat.
Idcirco predictus uir occasionem quam op-
tauerat semper acceptam. ut superius dictum
est. relicta domo. parentibus sorore.
cognatis. et inclita ac gloriosissima pe-
tri urbe. corpore sola tantum queque in
itinere ualuere esse utilia. cum biblio-
theca quam sibi summo studio in prefata
confecit urbe conferens. hierosolimam
propter regna celorum uiuens militatu-
rus aduenit. Cumque aliquantis moran-
do peractis diebus cognouisset. ubi
absque anime dampno ualuisset uiuere cau-
te. et presepi domini ut prudens animal
uellet esse contiguus. quod ab hierosoli-
mis septimo miliario separatur contra
meridianam plagam. accedensque ad eun-
dem urbis pontificem cirillum nomine.
petyt ut parrochie que bethlehem
fuerat sita. locum sibi habitandi tribue-
ret. Cui nimirum mox quod deuote po-
poscit digne concessit. Data etenim
habitandi licencia bethlehem adiuuan-
tibus uicinis uiris catholicis construx-
it monasterium. in quo sub statuta ab